



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt I. a Stephanus Papa omnibus Episcopis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

vere curavisti. Cumque id felicitis recordationis Clemen-  
tini Papæ prædecessori nostro relatū fuisse, magistro  
Michaëlitunc Ecclesie Rom. Notario, quem ad  
partes Hispania destinaret, per suas dedit litteras in  
mandatis, ut re ad exsolvendū censum annuum  
monere diligentius, & inducere procuraret, & si opus  
esset, auctoritate fretus Apostolica compellere non  
differret.

b *Illustrum.* ) De titulo Illustris Regibus,  
supremisque Principibus à Sede Apostolica as-  
signato, egi in cap. nov. r. de officio Legati.

c *Charitatis affectu.* ) Nam Alfonso I. Dux  
Portugaliæ, qui ab Alexandro III. titulum Re-  
gis accepit, totum Regnum Lusitanum vectiga-  
le fecit Ecclesie Romanæ, ut constat ex Inno-  
centio III. lib. 1. epist. 144. 151. & 152. & lib. 3.  
regestr. 15. epist. 24. ubi refert Bosquetus.

d *Officiis publicis.* ) Quenam illa sint, expo-  
sui in cap. cum nimis, hoc titul. ubi commentarium  
hujus textus dedi.

e *Gravaminibus.* ) Quæ non levia inferuntur  
ab his publicanis, & exactoribus, ut probant la-  
tè Erasimus Chochier lib. 2. Polit. cap. 10. Proco-  
pius in hist. arcana. fol. 100. Fornerius lib. 6. ver.  
quotid. cap. 12. Valesius in notis ad Ammianum Mar-  
cellinum fol. 210. Amaya ad tit. Cod. de exactor.  
tribut. Solorzanus embl. 84. & 2. tom. de jure In-  
diar. lib. 1. cap. 2. ex num. 48. & lib. 5. cap. unic. Gi-  
balinus tom. 1. de negotiat. lib. 1. cap. 2. art. 15.

f *Regalia.* ) Id est Gabellas, tributa, & similia  
jura, quæ congerunt Alfaro de officio fiscal. gloss.  
20. cum sequent. Parexa de instrum. edit. tit. 5. resol.  
9. Cabelo 2. part. decis. 42.

## CAPVT XIX.

Idem.

Nvlli Iudæo baptizatum, vel baptizari volentem emere liceat, vel in suo servi-  
tio retinere. Quod si quem nondum ad fidem conversum causâ mercimonij  
emerit, & postmodum factus sit, vel fieri desideret Christianus, datis pro eo XII.  
solidis ab illius servitio protinus subtrahatur. Si autem intra tres menses ipsum ve-  
nalem non exposuerit, vel ad sibi serviendum emerit eundem, nec ipse vendere,  
nec alius audeat comparare: sed nullo pretio perducatur ad præmia libertatis.

## NOTÆ.

I.

a *Idem* ) Gregorius videlicet IX. qui præsen-  
tem constitutionem edidit, ut confirmaret,  
& ampliaret decisiones textus in cap. 1. cap. ad  
hoc hoc titul. circa servos à Sarracenis possessos,  
circa quos sequentes casus sunt distinguendi; si  
enim servus verna sit, id est natus domi, vel itaque  
fieri Christianus, statim nullo pretio dato eripi-  
tur in libertatem, cap. fraternitatem, § 4. dist. 1. Deo  
nobis, § his itaque, Cod. de Episc. & cleric. Si autem  
sit emptus, distinguendum est, quia aut erat Chri-  
stianus, cum emptus fuit, aut Paganus: si erat  
Christianus, indistinctè in libertatem eripitur  
nullo pretio dato, quia Christiani commercium

est Iudæo penitus interdictum, cap. mancipia, § 4.  
dist. Si autem sit emptus dum erat Paganus, aut  
causâ servitij, aut mercimonij gratiâ emptus fuit.  
Primo casu, si vult Christianus fieri, absque  
ullo pretio eripitur in libertatem, dict. cap. si fra-  
ternitatem. In secundo verò casu, si infra tres men-  
ses Iudæus non exposuit eum venalem, si Catho-  
licam fidem profiteri velit, etiam sine ullo pretio  
eripitur in libertatem, quia creditur ad servi-  
endum eum emisse: si verò infra tres menses expo-  
suerit eum venalem, & infra eos, vel post vel ita  
Christianus, dum tamen non steterit per domi-  
num, quominus eum vendiderit, soluto pretio  
duodecim solidorum servus redimitur.

## TITULUS VII.

## De Hæreticis.

## CAPVT I.

a Stephanus Papa omnibus Episcopis.



Vbius in fide, infidelis est. Nec eis omnino b credendum est, qui fidem  
veritatis ignorant.

## NOTÆ.

I.

a *Stephanus.* ) Ita etiam legitur in prima col-  
lectione, sub hoc titul. cap. 1. sed verba in

præsenti relata reperiuntur in can. 45. Synodi  
Nicane, & in can. 4. collectionis Hadriani Papæ,  
& in epist. 1. Sixti I. ubi ait: De cætero plerumque prop-  
ter malorum, hominum infestationes, ut in accu-  
satione

statione domini, ministrorum primò persona, fides, vita & conversatio blasphemantium enucleatim perscrutetur; nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis est; nec eis omnino est credendum, qui veritatis fidem ignorant, nec recte conversationis fidem ducunt. Et apud Julianum I. epist. 1. cap. 11. Placuit semper in accusatione clericorum, ut primò persona, fides, vita, & conversatio blasphemantium perscrutetur; nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide, infidelis est; nec eis omnino est credendum, qui veritatis fidem ignorant, nec recte conversationis vitam ducunt. Et hæc sententia primò fuit Evaristi Papæ epist. 2. ut transcribitur à Carnotensi part. 7. Decret. cap. 7. Gratian. in cap. 17. 2. quæst. 7. mox Sixti in epist. 1. deinde Pii Papæ, ut refert Gratianus in cap. 3. 3. quæst. 4. postea Calixti epist. 2. relata in cap. 18. 2. quæst. 7. deinceps Fabiani in Synodo Romana, relata in cap. 7. 3. quæst. 4. Stephani in epist. 2. tandem Marcelli epist. 2. relata in cap. final. 96. dist. Nec dissimilis sententia reperitur in Concilio CP. relato à Gratiano in cap. 4. quæst. 5. Chalcedon. can. 21. apud Gratianum in cap. 49. 2. quæst. 7. Carthag. 4. can. 11. Tolet 6. can. 11. transcripto à Gratiano in cap. 9. 3. quæst. 9. etsi peperam citetur ex Concilio Tolet. Tandem in Capitularibus Caroli lib. 5. Capitul. 183. & lib. 7. cap. 147. & apud alios Ecclesiæ PP. quos congerit Ant. August. in notis ad dictum can. 4. Hadriani.

2. b Credendum est.) Unde hæreticus contra Catholicum, ut testis, vel ut accusator non admittitur cap. non potest, cap. si hæreticus, §. orthodoxis, cap. testes, in princip. vers. Et vera fidei 2. quæst. 7. cap. Beatus, cap. si quis verò, 3. quæst. 4. cap. suspectus 3. quæst. 5. cap. qui crimen, vers. Christum 6. quæst. 1. can. 74. Apostol. l. 12. Cod. de hæretic. Felix II. in Synodo Romana, epist. 1. cap. 9. Testificandi, vel accusandi licentia denegetur his, qui Christiana religionis, & nominis dignitatem, & sue legis, vel sui propositi normam, aut regulariter prohibita neglexerint. Et cap. 11. & 13. Persona accusantium tales esse debent, quarum fides, & conversatio, & vita probabilis, & absque reprehensione sit. Et cap. 15. A quibus nimirum opprimimur, excommunicati que nullatenus ad accusationem, vel ad testimonium erunt admittendi. Fabianus Papa epist. 1. in medium, & epist. 2. ante medium: Ipsi Apostoli, & successores eorum olim statuerunt, eos ad accusationem non recipi, qui sunt suspecti, aut dubii in recta fide. Idem epist. 3. cap. 1. Marcellus Pontifex epist. 1. ad medium, Dionysius epist. 2. Quorum, & aliorum auctoritates congerit Antonius Augustinus in epit. juris lib. 11. tit. 18. & nonnullas adduxi in cap. Iudæi, de testibus. Hoc autem non procedit, si hæreticus contra hæreticum testimonium dicat, cap. si hæreticus 2. quæst. 7. cap. in fide 5. de hæretic. in 6. vel si pro orthodoxo testimonium ferat, dict. cap. si hæreticus, vers. Sim autem. Novella 45. §. enim verò. notavit Vighel. in method. jur. Pont. lib. 2. cap. 13.

## COMMENTARIUM.

3. Conclusio trahitur, & probatur. EX hoc textu, pro ut jacet sub hac rubrica de Hæreticis, sequens communiter deducitur assertio: Dubitans in fide hæreticus est. Probatum est

Clement. 1. §. porrò, ibi: in dubium; hoc tit. Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 8. D. August. in Enchirid. cap. 7. & 19. ubi asserit, salvà fide non posse usurpari illam particulam forte, in rebus fidei, quia significat dubitationem. D. Hieronym. in abacuch. cap. 2. ibi Si autem dubitaverit fides tua, & putaveris non venire quod spondeo, habebis pro grandi poena. D. Thomas 2. 2. quæst. 16. art. 5. & quæst. 11. art. 1. Illustrant ultra congestos à Barbofa in præfenti, Petrus Gregor. lib. 2. partit. tit. 6. cap. 1. Robertus lib. 1. rer. judic. cap. 12. in fine, Penna in direct. Inquisit. in præfenti, Suarez de fide disput. 19. sect. 4. Sanchez lib. 2. summa, cap. 7. num. 12. Duarod ad Bullam Cœna Domini, lib. 2. can. 1. quæst. 23. Riccius lib. 5. de jure person. cap. 4. Azevedo in l. 1. tit. 3. lib. 8. Recopil. Portel. in dubiis Regul. verbo Hæresis, num. 4. Carena de offic. inquisit. part. 2. tit. 1. §. 3. Diana part. 2. tract. 2. miscel. resol. 53. Torreblanca de jure spiritual. lib. 13. cap. 1. num. 33. Thomas Delbene de immunit. eccles. lib. 1. subsect. 31. num. 2. Becanus in 2. 2. Divi Thomæ, tit. de fide, cap. 14. quæst. 1. Albergrinus de hæresi cap. 5. Cajetanus 2. 2. quæst. 11. art. 2. Turricrem. lib. 4. summa, part. 1. quæst. 11. Sà verbo Hæresis, Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 9. quæst. 5. Castropalao tom. 1. tract. 4. disput. 3. part. 2. num. 9. Canus lib. 12. de locis, cap. 8. vers. Contraversantur. Murga tom. 2. disquisit. mor. tract. 1. dub. 1. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 6. art. 3. Prado tom. 1. Theolog. Moral. cap. 8. quæst. 1. §. 2. Thomas Benmus de offic. Inquis. part. 1. dubit. 5. per totam, Lugo, Bonacina, & Layman, quos sequitur Macedo de clavibus Petri, in questione prævia, art. 2. Suarez de fide disput. 19. sect. 4. alii apud Barbofam in tom. 6. in select. ad hunc textum.

4. Sed pro dubitandi ratione in præfentem assertionem ita insurgo: hæresis non importat solam privationem fidei, sed actum positivum in contrarium: quare de ratione hæresis est electio pertinax doctrinæ contraria veritati fidei, cap. hæreticus 2. 4. quæst. 3. D. Thomas in epist. 1. ad Corinth. cap. 11. lect. 4. & 2. 2. quæst. 11. art. 2. ad 3. Sed dubitans nullum habet assensum fidei contrarium, nec alterutram partem eligit, sed pendulus est; id enim est dubitare: & dubius in fide medium se gerit inter hæreticum & Catholicum, ac neuter est; nec enim dissentitur positive ut hæreticus, nec assentitur ut Catholicus, sed iudicium suspendens iudicat rem esse dubiam. Ergo dubius in fide fidelis est, non verò hæreticus. Deinde nam hæresis essentialiter consistit in iudicio intellectus contra fidem: sed ille, qui dubius est, non habet iudicium contra fidem, quia qui dubitat, in neutram partem terminatur; ergo hæreticus non est. Facit etiam, nam hæresis, & fides sunt duo extrema: illa assensum rerum fidei importat, hæc autem dissensum: at dubium est medium inter illa, utpote, quod neque assensum, nec dissensum includit: ergo dubius in fide hæreticus non est. Quare dubitantem de mysterio fidei, deliberatè hæreticum non esse docuerunt Cano lib. 12. de locis, cap. 9. Sanchez lib. 2. summa, cap. 7. num. 2. Tannerus, & alii, quos refert, & sequitur Diana part. 2. tract. 2. resol. 56.

5. Quà dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, hæresim à qua hæreticus appellatus est, dictam

4. Impugnatur tradita assertio.

5. Hæresis Etymon & Definitio.

etiam esse à Græca voce *επιλογη*, id est *eligo*, vel *sector*: unde *sectis* idem est ac electio, seu secta, *cap. heresis 24. quest. 3.* docent D. Isidorus *lib. 8. etym. cap. 3.* D. Hieron. *in epist. ad Galatas, cap. 5.* Clemens Alexand. *lib. 7. Stromatum*, ibi: *Hæresis electio est.* Tertul. *lib. de præscript. ex D. Augustino, Cicerone & aliis probant Covar. lib. 3. variar. cap. 1. num. 2.* Castro *de iusta heretic. punit. lib. 1. cap. 1.* Cano *de locis Theolog. lib. 12. cap. 9.* Loayfas *in notis ad D. Isidorum lib. 1. sent. cap. 17.* Suarez *de fide disput. 19. sect. 1. num. 1.* Paramus *de orig. Inquisit. lib. 3. quest. 3. numer.* Santarellus *de heresi quest. 1. conclus. 1.* Azevedus *in l. 1. tit. 3. lib. 8. recopil. Scortia in select. epist. 71. theorem. 182.* Fagundes *in præcept. 1. Decalog. lib. 1. cap. 10. num. 2.* Albertinus *de heres. cap. 1.* Suarez *de fide disput. 19. sect. 1.* Facit textus, ubi heresis hoc sensu accipitur, *in l. si duas 6. vers. est autem, ff. de excusat. tutor.* Unde licet dictio hæc ex proprietate sermonis quamcunque doctrinæ electionem, seu sententiam bonam, & laudabilem significet, tamen quia in his, quæ sunt fidei, & religionis Christianæ, nulla potest dari licita electio ex humano arbitrio, nec secta aliqua disciplina particularis: tum quia sunt illa omnia à Deo tradita, & eo relevante inspirata, juxta Apostolum *1. ad Corinth. cap. 2.* ibi: *Fides non fit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*, in cuius obsequium captivandus est intellectus noster eum eodem Paulo *2. ad Corinth. cap. 10.* inde merito in hoc titulo, & passim apud Doctores hæresis in Catholicis, quatenus tales sunt, id est in his, quæ sunt fidei Catholice, importat gravissimum crimen violatæ religionis, insurgens ex eo, quod fidelis aliquid peculiare eligit, vel sectatur ex suo arbitrio, in his quæ sunt fidei; in ea enim quidquid est humanum inventum particulare, & non unum, violat fidem, & religionem ipsam, ut ex Tertulliano, & aliis probat Castro *dict. cap. 1.* Facit lex *Cælicolarum Cod. de Iudeis.* Nec obstat, quod crimen violatæ religionis cum sit species infidelitatis, ut probat D. Thomas *2. 2. quest. 11. art. 1.* est operatio intellectus, & in eo consistit, quod aliquid perperam intelligitur, & iudicatur contra fidem, ut omnes fatentur: electio verò consistit in voluntate, cuius est operatio, & consequenter non potest crimen hoc hæresis, id est electio, nominari, nec per heresim significari. Quia facilis solutio est: tum quia vitium hoc non est in intellectu absolute, sed in eo motu à voluntate; movet enim voluntas ad se intelligendum, ut ex D. Thoma *2. 2. quest. 10.* probat Castro *ubi supra, vers. Sed fortasse.* Simanch. *de Cathol. cap. 30. num. 3.* tum quia licet initium huius criminis sit in intellectu errante, consummatio tamen illius est in voluntate, quæ errorem pertinaciter retinet, ut ex mente D. Thomæ advertunt Paulus Girlandus *de heret. quest. 1. num. 6.* Brunnus *cod. tract. lib. 1. cap. 2.*

6.  
Hæresis  
Definitio.

Deinde sciendum est, hæresis definitiones varias adduxisse repetentes in præsentia, & scribentes de hereticis, aliosque quos referunt Riccius *lib. 5. de iure person. cap. 1.* Carena *de offic. Inquisit. part. 2. tit. 1. quest. 1.* Petrus Greg. *lib. 4. part. tit. 6. cap. 1.* Macedo *de clavibus Petri, in quest. prævia.* Suarez *de fide, disput. 19. sect. 1.* ex quorum mente ita definiti potest; hæresis est error pertinax in Catholico contra fidem Catholi-

cam. Quæ definitio constat suis requisitis, & simul exprimit naturam definiti. Unde primo infertur, heresim non tantum in surgere ex verbis, seu assertione, sed etiam ex opere, & facto aliquo contra fidem est enim error, juxta textum in *cap. 1. de summa Trinit. lib. 6. cap. si Ecclesia 23. quest. 4.* cuius consummatio, ut proxime dixi, consistit in voluntate, quæ non minus factis, quam verbis ostenditur, *cap. dilecti 5. 2. de appellat. cap. existimant 2. quest. 3. cap. accusatus, §. sanè, hoc titul. lib. 6.* probant Simanchas *dict. cap. 30. num. 14.* Cano *dict. lib. 12. cap. 9. vers. illud.* Hoc autem procedit modò opus ex se veretur circa materiam fidei, nec solet fieri ab aliis, quam ab his, qui fidei adverterantur, ut sunt ritus Judæorum, & Paganorum; aliter si opus tale non sit, sed respiciat mores, id est ea, quæ agenda sunt, quia licita, vel fugienda, quia illicita, ob idque principaliter præcipiantur, vel prohibeantur ne fiant, vel uti furtum, perjurium & similia, quia quæ solent committi à fidelibus, ac à quibuscunque aliis; tunc ex huiusmodi opere per se non insurgit heresis, nisi constet agentem credere illud esse licitum, quia hoc repugnat fidei, ex sacris litteris, quibus contrarium docetur: heresis autem ex huiusmodi factis insurgit presumptione juris, quia presumitur modò aliud non apparet, cum qui tale opus facit, ita credere, sicut opus ex se primo aspectu sonat, ut contingit in eo, qui binas nuptias contrahit uno, eodemque tempore, aut matrimonium celebrat post votum emissum in suspensione ordinum, aut professione religionis, & similibus: oportet tamen Inquisitores hereticæ pravitate diligenter examinare huiusmodi opera, utrum ex interiori infidelitate, & errore intellectus processerint, sicut exterius apparet; quod si aliquando constare potuerit, ex aliqua causa, timore scilicet, cupiditate, aut animi perturbatione processisse, debent in similia perpetrantes, non tanquam in hereticos, sed levius animadvertere, ut monet Cano *dict. cap. 9.* Deinde infertur ex dicta definitione, in heresim tantum incidere posse Catholicos, qui semel fidem Catholicam professi fuerunt. Unde infideles, qui non sunt partes huius totius, quod est Ecclesia, nec illius veritate aut unitate professi sunt per baptismum, quavis in pluribus erent contra fidem, heretici dici nequeunt, ut probatur ex textu in *cap. quin Ecclesia 24. quest. 3. cap. quidam, de heretic. lib. 6. cap. heretici 24. quest. 1.* ibi: *A fide Catholica desisterunt.* Docent Covarr. *lib. 3. variar. cap. 1. num. 2.* Becanus *in 2. 2. cap. 14. quest. 2.* Nec solum infideles heretici dici nequeunt, immò nec illorum dogmata hereses proprie dici possunt, quia omnia, quæ sunt de ratione hæresis, sunt etiam de ratione heretici, ut probat D. Thomas *in 1. ad Corinth. cap. 2. lect. 4.* etsi contrarium teneat Castro *dict. lib. 1. cap. 1.* Simanchas *de Cathol. cap. 54. num. 10.* quorum sententia procedere potest, si accipiat heresis lato modo, & materialiter, pro ut significat errorem fidei contrarium; non verò strictè, & formaliter, pro ut importat crimen violatæ religionis.

7.  
De perti-  
nacia hereticorum  
necessaria ad  
hæresim.

Ex dicta definitione infertur, heresim non dari nisi adsit pertinacia in errore: & probatur ex *cap. dixi, cap. quin in Ecclesia 24. quest. 3. cap. 2. de summa Trinit. cap. unic. cod. tit. lib. 6.* Clement. *1. de summa Trinit. Clement. 1. §. ult. de usur. extravag. Cum inter, Joannis XXII. de V. s. probant pluribus relatis Riccius de iur. person. lib. 5. cap. 1.*

Profo-  
quitur de  
finitiois  
expofitioi

cap. 1. num. 15. Torrelblanca de jure spirit. lib. 3.  
cap. 8. num. 23. Carena de offic. inquisit. part. 2. tit.  
1. §. 2. Suarez de fide disput. 19. sect. 3. Si enim defi-  
ciat pertinacia, ut quia quis errat contra fidem  
per simplicitatem, aut ignorantiam, putans ita  
esse de fide, & Ecclesiam ita tenere, cui in om-  
nibus vult subijci, nec dici, nec judicari, nec pu-  
niri potest ut hæreticus, cap. 2. vers. In nullo. de  
summa Trinit. in quo sensu accipiendus est D.  
Augustinus lib. 1. de Trinit. Errare potero, sed hæ-  
reticus non ero; quia scilicet non ero pertinax in  
errore. Nec obstat textus in cap. super quibusdam  
in princip. de V. s. ubi in descriptione hæretici  
nulla fit mentio pertinaciæ, siquidem ibi agitur  
tantum de hæretico manifesto, & ita de eo,  
quem jam certum est esse hæreticum, & pertina-  
citer errare; dubitatur tamen, an manifestus sit.  
Circa discernendam autem pertinaciam in hac  
parte plura tradunt Castro dict. lib. 1. cap. 9. Ca-  
no dict. lib. 12. de locis, cap. 9. Simanc. de Cathol.  
cap. 42. & in praxi heres. cap. 30. Navarr. in cap.  
novit. notabili 3. num. 42. Ricciulus, & Carena  
suprà. Iuxta quorum mentem dicendum est, per-  
tinaciam juxta nominis etymologiam denotare  
nimiam persistentiam in eo, quod quis dimittere  
debet, unde pertinax idem est, ac valde tenax.  
Glossam Clem. 1. §. porro, de summa Trinit. & in l.  
3. §. penult. ff. de suspect. tutor. pertinacia autem ta-  
lis in præsentem non solum accipitur pro obsti-  
natione, vel obduratione diuturna, quæ habetur  
contra consensum transitorium, et perperam  
existimant Alciatus in l. 2. Cod. de summa Tri-  
nit. Brunus lib. 1. de heres. cap. 2. pag. 2. Sylvester  
verbo Hæresis 1. num. 4. sed generalius accipitur  
pro consensu quocumque firmo contra verita-  
tem, & fidem Catholicam, quam quis vel cog-  
noscit, vel cognoscere debet, ut probat Siman-  
cas de Catholicis, dict. cap. 48. num. 8. & ita  
qui sciens, prudensque errat contra fidem, per-  
tinax est, id est plus debito tenax, quamvis mo-  
nitio non fuerit, nec diutius persistit in erro-  
re; & in foro exteriori, quoad Ecclesiam, cui al-  
liud non apparet, pertinax præsumitur errans  
in his, quæ cognoscere debet; sed quia circa per-  
tinaciam indicendam, vel non, aliud in jure cau-  
tum non legimus, ideo arbitrio judicis relinqui-  
tur, qui ex conjecturis deprehendet, an pertina-  
cia intervenerit, id est firmus in errore consen-  
sus, veluti quia error est manifestè damnatus, &  
contra veritatem notissimam, seu traditionem  
Ecclesie, vel quia errans doctus est, & sagax, aut  
quia diu, & clam perseveravit in errore, vel si  
legitima admonitio intercessit, sicut contra per-  
tinaciam non præsumitur quando error est contra  
veritatem minus notam, nec aperte damnatam;  
vel errans est indoctus, in reliquis de fide opti-  
me sentiens, vel quia per minus tempus persistit  
in errore, ut exemplis exponunt Castro, & Cano  
ubi suprà. Pertinacia ergo non tantum est de ra-  
tione hæretici, sed etiam de ratione hæresis, ut  
docet D. Thomas in 1. ad Corinth. cap. 11. lect. 4.  
quod procedit si hæresis, & hæreticus accipian-  
tur formaliter juxta traditam definitionem, nam  
si materialiter accipiuntur, vel pro errore, vel pro  
errante contra fidem, hæresis, & hæreticus rectè  
dicuntur, quantumvis pertinacia deficiat, in quo  
sensu procedit sententia D. Thomæ part. 1. quæst.  
32. art. 4. ad 1. ubi Cajetanus.

tuendum necessarium esse quod error sit con-  
tra fidem, ut probatur ex cap. hæretici 24. quæstion.  
1. ubi: A fide Catholica defluerunt, cap. omnes ubi: Fi-  
dem quippe violat, 22. dist. cap. super quibusdam, ubi:  
Contra fidem Catholicam, de V. s. docent D. Tho-  
mas 2. 2. quæst. 11. art. 2. Castro dict. lib. 1. de heres.  
punit. cap. 1. §. 7. & alii supracitati. Unde errores,  
& crimina, quantumvis gravia, propriè loquendo  
hæreses dici nequeunt, nec eorum auctores  
sunt hæretici, de quibus in præsentem titulo,  
quamvis impropriè, & per similitudinem ad  
denotandam criminis gravitatem, simoniaci,  
excommunicati, & alii similes, hæretici dicantur,  
cap. quicumque, cum sequent. 1. quæstione 1. cap.  
quod autem, ubi Glossa 4. quæst. 1. quia scilicet hu-  
jusmodi delinquentes ita peccant, ac si essent  
hæretici de fide malè sentientes, ut considerat D.  
Thomas quæst. 13. num. 28. Villadiego de heretic.  
pravit. quæst. 2. num. 3. Appellatione autem fidei  
Catholica veniunt non tantum ea, quæ  
pertinent ad fidem principaliter & directè,  
sed etiam illa, quæ secundariò, & reductivè,  
ut expl. cat D. Thomas 1. part. quæst. 32. art. 4.  
Sylvester verbo Hæresis 1. num. 3. juxta quam  
explicationem meritò judicantur hæretici ple-  
rique, quos referunt Brunus de heretic. lib. 1. cap.  
2. Repertorium inquisit. verbo Hæreticus, Carre-  
rius in praxi de heresi, à num. 6. Contra fidem au-  
tem Catholicam est, quicquid contra Ecclesie  
universalis determinationes de fide fit, cujus  
auctoritas principaliter residet penes Summum  
Pontificem, ad quem pertinet judicare de fide,  
& quæ contra eam sunt, hæretica pronunciare,  
cap. quotiens, cap. hæc est, cap. correpta. 24. quæst. 1.  
cap. majores, de baptismo: probat latè Castro ad-  
vers. hæreses, cap. 5. & 8. & lib. 1. de heretic. punit.  
cap. 5. Unde inferitur, magnam dari differentiam  
inter propositionem hæreticam, quæ fidei adver-  
satur, & inter erroneam malè sonantem, hære-  
sim sapientem, scandalosam, seu temerariam, & si-  
miles, quarum descriptiones, & exempla tradunt  
Castro dict. lib. 1. cap. 3. Cano de locis lib. 12. cap.  
17. Simanc. de Cathol. cap. 54. & in praxi heres.  
cap. 24. Soula in manuali Qualificatorum. Quare  
ad Theologos pertinet hujusmodi propositio-  
nes examinare, ut docetur in Extravag. 2. hoc titul.  
inter communes; quorum resolutiones, & censu-  
ræ apponi debent in ipso processu, ut inde Ju-  
dex agnoscere possit, an reus ut hæreticus, vel  
aliter puniendus sit.

His suppositis apparet ratio præsentis decisi-  
onis, quæ provenit ex eo, quia cum in fide fir-  
ma certitudo, & nulla dubietas, aut hæsitatio  
esse debeat, cap. 1. ubi Glossa, de summa Trinit.  
D. Iacobus in epist. canonic. cap. 1. ubi: In fide nihil  
hesitans; & juxta illud Athanasii: Fideliter firmi-  
terque crediderit, unum enim ex articulis nostræ  
fidei est, eam esse firmissimam: Calum, & terra  
transibunt, verba autem mea non præteribunt, ait  
Dominus apud Matthæum cap. 24. vers. 35. Sic  
Paulus ad Hebræos c. 6. vers. 8. hortatur, ut per  
duas res immobiles, quibus impossibile est  
mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.  
Meritò ergo in præsentem ille, qui dubitat nolens  
captivare intellectum in obsequium fidei, hære-  
ticus judicatur; errat enim contra fidem cat-  
holicam, dum pro incertis habet ea, quæ cer-  
tissima sunt

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, quæ

9.  
Trahitur  
decidendi  
ratio.

10.

7. Tandem ex supra tradita definitione infer-  
tur ad hæresim, vel hæreticum propriè consti-

7.  
de perti-  
nacia he-  
resis ad  
hæresim.

*Dissolvi-  
tur ratio  
dubitanāi*

quā moti Can. *lib. 12. de locis. cap. 9. Sā in summa,* verbo *Hæresis, num. 1.* & alii citati à *Diana part. 2. tract. 16. resol. § 1.* affirmarunt dubium in fide infidelem non esse. Sed pro hujus difficultatis solutione sciendum est, præsentem textum procedere in dubio, seu dubitante voluntariè, & deliberatè; qui enim dubiis & scrupulis involuntariis impetitur, sicut non peccat, ita nec fidem amittit, quæ sine peccato non destruitur, ut docent auctores suprā laudati: & hujus rei manifestum argumentum est, quod scilicet nec ipse errans per errorem involuntarium, & inculpabilem in fide infidelis fiat, ut patet in rusticis negantibus plures fidei veritates ex ignorantia inculpa, qui non ideo infideles sunt. Si ergo sic errans involuntariè, & materialiter, ut Theologi loquuntur, in fide infidelis non est, à fortiori nec dubius, seu dubitans inculpatè, vel quia per motus primò primos, & indeliberatos dubium occurrit, vel etiam quia non satis ipsi propofita est ea fidei veritas, de qua dubitat. Deinde sciendum est, dubium in fide dici, qui circa aliquam veritatem, quæ per fidem Catholicam credenda est, sive primaria, sive secundaria, sive directā, sive indirectā illa sit, dubius fuerit; nec enim requiritur ut de tota fide dubitet, quemadmodum errans in fide dicitur, qui vel uni soli fidei veritati dissentit. Qui ergo circa quamcunque veritatem sufficienter propofitam ut credendam per fidem Catholicam dubius fuerit, is verè dicitur dubius in fide, & juxta textum hunc infidelis erit. Deinceps sciendum est, dubium in significatione propriā eum non dici, qui quomodocunque suspendit assensum fidei; nam cum præceptum fidei non obliget pro semper ad credendum sine ullo peccato, consequenter, quin fides amittatur, homo fidelis potest assensum cohibere: ulterius ergo requiritur ad verum dubium aliquis actus; si enim mera suspensio actus non sufficit, jam in hoc dubio actus includitur; quod probatur, nam dubius opponitur certò, ut omnibus in comperto est ex ipsa vocis notione: sed omnes fideles certi dicuntur in fide, etiam quando actum credendi non eliciunt, sive quia non advertunt, ut in somno, amentia, seu animi diversione; sive quia etiam advertentes cum videant se non obligari ad actum credendum, eum omitunt: ergo per omissionem, seu suspensionem utcumque actus fidei non dicitur quis dubius. Quod etiam nobis constat ex fide humana; non enim quis dicitur dubius de dictis alterius eo præcisè, quòd actu ad ipsum non attendat, assensumque actualem ipsis non præstet, volens se ad alia divertere. His suppositis jam accedam ad præsentis textus expositionem: Du-

bium in fide aliquem actum positivum dicit, sive directum, sive reflexum; vel ergo per talem actum dicit expressè mysterium fidei esse dubium, & sic manifestè opponitur veritati fidei; nam fides Catholica docet mysteria revelata non esse dubia, sed certa, & infallibilia; jam verò si talis actus positivus dicit mysterium à Deo revelatum esse dubium, eo ipso asserit, posse non esse ita ut revelatur à Deo, postque aliter evenire; ergo talis actus sic dubitans hæreticus est. Si verò actus non directè de ipso mysterio revelato, sed de ipso homine credituro, vel etiam de ipso assensu præstando reflexè affirmet *dubium esse*, etiam hæreticus erit, & resistens veritati fidei; nam fides docet omnem assensum procedentem ex ea infallibilem esse, idemque censendum est de actu, quo quis dubitaret de motivo credendi, ita ut putaret, quod *forte motivum fidei desicere potest*; nam cum motivum sit revelatio Dei, hoc esset revelationem Dei fallibilem putare, quod hæreticum est. Igitur omnis actus, qui necessariò intercedit in dubio culpabili, & deliberato, contradicit alicui veritati fidei, & consequenter est hæreticus, constituitque hominem infidelem.

Sed instabis cum auctoribus negantibus dubium in fide esse infidelem, fidem amitti non posse sine actu positivo opposito: rectè autem contingere posse dubium culpabile sine ullo actu; nam qui in aliquo casu, in quo ex præcepto fidei tenetur assentire positivè fidei, & non assentitur, peccat etiam si nihil contrarium ponat, ut patet in aliis peccatis puræ omissionis: ergo tunc mera suspensio, seu dubium etiam sine ullo actu invenitur, quin fidem destruat, seu infidelem constituat. Respondetur enim ex suprā traditis, talem suspensionem peccaminosam quidem esse, sed si non oriatur ex actibus positivis dubitanti-bus, non facere hominem dubium; nam bene stat talis suspensio cum eo quod quis simul apud se statuat: Si elicerem assensum exempli gratiā de Trinitate, infallibilem elicerem: quemadmodum rectè stat, me judicare alium actum præceptum esse justum, & sanctum, & adhuc à me suspendi. Nequit autem quis dici dubius in fide eo præcisè, quòd fidem præceptam non eliciat, ut suprā dixi. Unde inferitur, Auctores negantes per dubium amitti fidem, intelligendos esse de dubio ipso formali, & suspensivo purè; Auctores verò affirmantes intelligi de dubio in causā, quando scilicet quis suspendit assensum, eo quod positivè dubitet, modo suprā explicato. Prosequitur latius Thomas Benus *de offic. Inquisit. part. 1. dubit. 13.*

## C A P V T II.

Leo <sup>9</sup> Papa.

DE qua re quintodecimi capituli sermo conqueritur, & præsumptionem diabolicam meritò detestatur; quia & nos istud veracium testium relatione comperimus, & multos corruptissimos eorum codices, qui canonici titulantiur, invenimus. Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle prælinerent, ne usquequaque sentirentur in sua via, quæ essent futura mortifera. Curandum ergo est, & sacerdotali diligentia maximè providendum, ut falsati codices, & à sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apocrypha